Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1327
Quelle:
Copyright:

aliquo modo connumerantur. Si vero nomine dampnacionis cointelligis maximos illos inferni aut purgatorij vel tenebrarum cruciatus. sic inquam nullus peritus Theologus dicet Infantes dampnatos. Nisi forsitan rudes aliqui nostri temporis predicatores qui Gymnasium Theologorum vix in tenebris viderunt. et cum discipuli non fuerint veritatis facti sunt errorum magistri, apertisque buccis terribiliter clamant et per immortales deos iurant omnes infantes nondum iniciatos perpetuo densissimis et que palpari possunt cruciari tenebris &c. Dixerat prius, Parvulos non ideo tristari, *quo pacto ego non tristor, si non sim hungarie Rex, quoniam vires et meam condicionem hic status transcendit.* Concludit, superesse quaedam, quae *alio opere quod* de vera Felicitate *ad pientissimum regem nostrum Wladislaum scribimus deo aspirante satis late disputabimus. Modo que de predestinacione diximus Magnifica tua Dominatio ita suscipiat ut me semper habeat commendatum. Vale. Finit 12. Kal. Septembris. Anno Salutis Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo Tercio.* Primus, qui Codicis hujus a se visi et descripti, ejusque Autoris meminit *Sigism. Ferrarius* est O. P. *Italus Viglevan.* in raris suis *de Rebus Vngaricae Provinciae* Ordinis sui *Commentariis* editis *Viennae* 1637. 4. *pagg.* 428. et 456. Repetiit ab eo dicta *Ambr. Altamura* in *Bibl. Ord. Quetifus* in *Scriptt. Ord. Horanyius* in *Memoria Hungaror.* &c. Autor, siquidem *Hungarus*, sive *Transsilvanus Claudiopolitanus* fuit, patria lingua *Tsudálatos* dictus fuerit; sed me τὸ *natus Colosuariensis* junctum τῳ *ex Mirabilibus* advertit, ut suspicer *Italum* fuisse gente, qui ea tempestate frequentabant *Hungariam*, natum fortuito *Colosvarini* sive *Claudiopoli* e prosapia *Mirabilium* (Meraviglia, Maraviglia) *Mediolanensium.* Solebant, qui Familiae religiosae nomen dederant, Stirpem suam praepositione *Ex* signare. Ita, ut ab eodem Ordine exemplum sumam, habemus typo expressam Orationem, quam *Romae* in Festo OO. SS. a. 1483. dixit *Thomas ex Capitaneis de Celleonibus* (Colleonibus?) O. P. Nostro συγχρονος, quae *Capitaneorum* Stirps pariter hodie viget, ut *Mirabilium. Job. Schellenbergii*, quem *Boh. Balbinus* in *Boh. docta* P. II. p. 109. Virum *memoria, ingenio, judicioque summum, graece et latine doctissimum* vocat, *Augustino Olom. Hassensteinio, Slechtae* &c. junctissimi laudes habes in *Faust. Prochaskae Comment. de Secularib. liberal. Artium in Boh. et Moravia Fatis* §. 46. p. 322. An *Nicolaus* noster alterum illud Opus *de vera Felicitate* emiserit, incertum. Primo geminum extat typis F. cujusdam *Feliciani de Praedestinatione s. l.* et *a.* 4. de quo Bibliothecarii non plus norunt, quam de *Nicolao*, et *Thoma ex Capitaneis.*